

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4478

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I. Wien 1799.

59

I O I C O D I C E S I I I

60

rum (nempe in Officio Chori) *In septuagesima legitur genesis In sexagesima exodus In quinquagesima Leuiticus In quadragesima Dominica prima liber Numeri In dominica secunda liber deutronomij Dominica tercia liber Josue Dominica quarta liber Judicum In passione et in palmis Jeremias. Quae legendi ratio ab usu hodierno discedit. Ad calcem Esdrae tamen fatetur Librarius: Explicit Esdras tertio. Fol. 256. Parabolae Salomonis Indicem Contentorum in singulis Capitibus preeferunt. Ad Machabaeorum calcem fol. 445. rejecta est gemina in eos*

In lebete (Cratere) meo Tethys est conjuncta Lyaeo, id conferre volenti ex adscripto hic principio: Domine, qui habitas in eternum, cuius oculi elati et superiora in aere, cuius thronus inestimabilis et claritas incomprehensibilis, cui astant exercitus angelorum cum tremore, quorum seruacio in uento et in igne conuertetur, cuius uerbum firmum et dicta perseverantia &c. Hanc Confessionem excipit Liber III. Esdrae hic dictus II. Psalterium plura παραγέγνητα habet: 1) Hieronymi Prologum in Versionem ex Hebraeo ad Sopbronium, qui incipit: Scio quosdam putare &c. ut edit. Vallars. T. IX. col. 1153. 2) Originem David Regis propheticie Psalmorum in numero C. et quinquaginta, quae est excerpta e spuria Hier. ad Damasum Epistola edit. cit. T. XI. col. 278. et incipit: David filius yesse cum esset in regno suo &c.

XLIII.

R. 1028 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 475. f. min. eleganter perscriptus, coloribus distinctus et olim Domus Professorum S. J. Viennae est Pars I. Bibliorum vulgatae Interpretationis cum solitis Hieronymi Prologis. Post Librum Nehemiae *Incipit confessio Esdre*, quae nihil est aliud, quam Excerptum ex apocrypho ejus *Libro IV. c. 8. a v. 20. ad v. 37.* rarissime in aliis Codicibus Biblicis obvium, et ditione varians ab Editis, quae ad calcem Bibliorum haberi solent. Patebit

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4478

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I. Wien 1799.

61

HIEROGRAPHICI.

62

&c. 3) Apocryphum illum Psalmum: *Pusillus eram inter fratres* &c. ubi tamen monetur: *Hic Psalmus in hebraicis codicibus non habetur, sed nec in LXX. interpretibus. est idcirco repudiandus.* 4) Hieronymi Prologum in Versionem ex LXX. notum illum et obvium in Bibliis: *Psalterium dudum Romae positus* &c. 5) denique Tercium, ut praefertur, Prologum Autore mihi ignoto, cuius initium: *Liber psalmorum quamquam uno concludatur volumine, non est tamen uno eodemque labore* &c. In decursu quaedam e Prologo Hilarii in Psalmos agnoscas. Psalmi ipsi Rubricis allegoricas insigniuntur, uti etiam Particulae Cantici Canticorum. Ad calcem legitur: *Finitur Ecclesiasticus et consequenter prima pars biblie Anno 1453°.* Non ita consequenter; plurima enim vetusta Exempla Partem alteram a Libris Salomonis auspicantur. Alterius Partis nostrae sortem ignoro.

XLIV.

R. 3²⁵⁷ Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 229. f. max. per duas columnas charactere luculentissimo splendide exaratus, minio distinctus, et Initiorum literis grandibus laete picturatis visendus complectitur vulgatae Versionis Pentateuchum, LL. Josue, Iudicum, Ruth, magnoque dein saltu Libellos Salomonis, Sapientiam et Ecclesiasticum, ad quae per Portam mire coloribus variata in introducimur, cui litera unciali in-

scriptum: *Incipit Epistola Beati Jeronimi Ad Paulinum Presbiterum De Omnibus Diuine Ystorie Libris.* Ita reliqui quoque Libri ejus Prologis gaudent, non tamen fat emendatis. Initium etiam Genesios magnifice comatum est. Textus distributionem Capitum, qua nos utimur, a prima manu non habet. Multis vocibus rectae pronunciationis ergo Accentus impositi sunt. Cantica Canticorum Personarum interloquentium nominibus distinguuntur. Siracides miniata passim Argumenta dicendorum praefert, et subnexam habet Orationem Salomonis e III. Reg. c. 8. et II. Paralip. c. 6.

Fol. 226. p. 2. *Incipit Passio Sanctorum Hermachore et fortunati.* Manu ejusdem Sec. ita: *Si quis unanimitatem sanctorum martyrum contempletur* &c. Edita est haec Passio primum a Bon. Mombrizio sub Typographiae exordia Mediolani, ut videtur, inter *Vitas Sanctorum* fol. 1. p. 2. f. Ex hac Editione cum Codd. mff. collata reproduxerunt illam Bollandiani ad diem 12. Julii p. 251. Nescio vero, quis Codex illis persuaserit, ut Praefatiunculam, cuius initium dedi, quaeque usque ad verba: *laedere arbitrentur*, pertinet, mediae narrationi n. 4. prorsus incohaerenter infererent. Temporis successu non parum aucta et interpolata fuisse haec Acta in confessio est apud Criticos, quos praecipue nomen *Austriae Provinciae*, et *Attaulphus* cum *Ulfio* a S. Marco Aquileiae inventi offenderunt. At qui a Codice nostro totum istud abest;